

demonstrans, quod cum tanto timore perficio. Quidam enim ut humanum contempnunt, quod prædicant ut divinum: & ita fit ut res sancta videatur esse non sancta, cum non perficitur sanctè. Unde dicitur: Sanctificate jejunium: id est, sanctum facite, sive monstrate.

Ut fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto. Ut exemplo meo gentes efficiantur hostia Deo accepta, non igni sanctificata vel suscepta, sed Spiritu sancto: sicut scriptum est: Quia sedit super Apostolos quasi ignis: & visæ sunt eis variae linguæ.

Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Gloriam habeo apud Deum, licet apud homines infamer & maculer.

Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus, in obedientiam gentium. Hic ostendit Christi & Spiritus sancti, unam esse potentiam atque virtutem. Item non ausus sum aliquid dicere me in his duntaxat rebus propria virtute fecisse, & non omnia per me esse Deum operatum.

In verbo & factis, in virtute signorum, & prodigiorum. Hoc est doctrina & signis. Non enim de operibus hic, sed de virtutibus loquebatur.

In virtute Spiritus sancti. Unam esse virtutem atque potentiam.

Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. Repletur Evangelium, cum etiam gentes credunt.

Sic autem prædicavi Evangelium hoc: non ubi nominatus est Christus: ne super alienum fundamentum edificarem. Non omnis qui super alienum fundamentum ædificat, malè facit: sed si ædificet aurum, & cætera. Hic pseudoapostolos tangit, qui semper ad eos qui jam crederent ibant, & nunquam ad gentes: quia non poterant virtutes operari. Et ostendit perfectè se laborasse, qui & fundamentum posuit, & ædificium superfruxit.

Sed sicut scriptum est. In Isaia. Ostendit suum laborem jam antè fuisse prædictum.

Quoniam quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt de eo, intelligent. Ostenditur Christus in Apostolis, & per virtutes quæ in ejus nomine fiebant.

Propter quod & impediebat plurimum venire ad vos. Exposuit illud quod in capite dixerat.

Et prohibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habent in his regionibus. Ubi jam toti firmi sunt, causam se negat habere ponendi fundamentum.

Cupiditatem autem habens veniendi ad vos. Notandum, esse cupiditatem etiam bonam: sicut, Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Et: Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas.

Ex multis jam præcedentibus annis. Qualis necessitas fuerit ostendit, quæ illum multis detineret annis.

Cum in Hispaniam proficisci cæpero, spero quod præteriens videam vos. Utrum in Hispania fuerit, incertum habebatur.

Et à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruius fuero. Quia ita vos exhibebis, ut nec apud vos locum aut necessitatem habeam diutius memorandi: & ideo ex parte illis fuisse dicit: quia non credere indigebant, sed tantummodo confirmari. Sive ideo ex parte: quia nulla magnitudi temporis faciat charitatem.

Nunc igitur proficiscar in Jerusalem. Hoc mihi restat deinceps ut veniam.

Ministrare sanctis. Sancti erant in Jerusalem, qui omnibus suis distractis, & ante Apostolorum pedes depositis, orationi, lectioni, doctrinaque vacabant. Quales autem fuerint, ex hoc cognoscitur, ut ipse Apostolus per se illis pergeret ministrare: & quibus oblationem suam esse optat acceptam: id est, ut eam dignentur accipere, ostendens hoc non tam prodesse accipientibus, quam dantibus. Hoc contra illos facit qui gloriam perfectionis impugnant.

Probaverunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam sumptuum facerent sanctis.

In pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis. Quia propter sanctorum ædificationem esse pauperes voluerunt. Sive simpliciter pauperes sanctorum intellige.

Et debitores sum eorum. Exemplo eorum provocat Romanos ad simile opus, ostendens hoc illis non immeritò placuisse.

Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles: debent & in carnalibus ministrare eis. Quia doctores ex ipis habebant, & focii facti fuerant radicis, & pinguedinis olivæ: ideoque unusquisque in quo abundat debet alteri impartire.

Hoc igitur cum consummavero, & assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. Si vos bene exhibueritis, abundavit nobis bona doctrina in vos: quia quantum proficit discipulus, tantum provocatur ad docendum & doctor. Sicut alibi ait: Os nostrum patet ad vos, o Corinthii. Sive, abundanter benedicuntur in adventu meo Christus in vobis.

Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam. Sciens Apostolus quoniam propter prædicationem Christi Romam victus ducendus erat, in abundantia benedictionis prædicat se esse venturum. Vel certè quoniam conscius sibi erat, nihilominus habere se gratiam ab aliis Apostolis.

Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum. Rogat ut pro eo tota instanter oret Ecclesia: quia novit multum valere preces in communi multorum. Jacobo enim occiso, Petrus fratrum precibus de carcere liberatur: qui non tam illi quam sibi beneficium præstiturunt, scilicet ut ejus possint doctrina firmari.

Et per charitatem sancti Spiritus: ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Spiritualis enim charitas facit ut pro invicem exoretis.

Ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa: & obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis. Sive ut omnes credant: sive fidelibus ministrans, in manus infidelium non incurram: ne ad vos venire non possim.

Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum. Tunc in gaudio veniam, si oblatio mea ab eis accepta fuerit: & securus verbum Dei abundantius loquar. Tristitia enim animi multum impedit ad doctrinam.

Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen. Deus pacis non nisi in pacificis est. Pulchrè autem finivit, duobus populis in concordiam revocatis.

Caput XVI.

COMMENDO autem vobis Phæben sororem nostram. Jam quasi finito textu Epistolæ, ut solet commendationis gratiam subter adnexuit. Item hic monstrat Apostolus non accipiendam aut eligendam personam esse viri vel femine, quando Romanis per mulierem (ut fertur) litteras mittit. In eadem Epistola aliis feminis mandat salutem.

Quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Cenchreais. Sicut etiam nunc in Orientalibus diaconisse mulieres, in suo sexu ministrare videntur in baptismo, sive in ministerio verbi: quia privati docuisse feminas invenimus, sicut Priscillam, cujus vir Aquila vocabatur.

Ut eam suscipiatis in Domino dignè sanctis, & assistatis ei in quocumque negotio vestri indigerit. Etenim ipsa quoque assistit multis & mihi-ipsi. Ut adjuvetis eam, sive sumptuum opibus, sive solatio: quia & ipsa quamdiu habuit, plures adjuvit.

Salutate Priscam & Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu. Qui conformasse se Apostolo dicuntur in fide: quos & ideo adjutores appellat, quia in opere doctrinarum ubi ipse laborabat, & isti juverunt.

Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: Quibus non solum ego gratias ago, sed & cuncta Ecclesiæ gentium. Probando meam doctrinam, se periculo subjecerunt, propter quod illis omnes Ecclesiæ gratias agunt: quia per illos ego servatus sum.

Et domesticam Ecclesiam eorum. Ostendit congregationem fidelium, Ecclesiam nominari.

Salutate Epanetum dilectum mihi: qui est primitivus Ecclesiæ Asiæ in Christo Jesu. Salutem Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Primitivus Ecclesiæ Asiæ, istos omnes quos salutem, intelligimus ex nominibus fuisse peregrinos: per quorum exemplum atque doctrinam, non absurdè existimamus credidisse Romanos.

Salutate Andronicum & Juniam cognatos, & concaptivos meos: qui sunt nobiles in Apostolis: qui & ante me fuerunt.

rant in Christo Jesu. Salutem Ampliatum, dilectissimum mihi in Domino. Salutem Urbanum, adjutorem nostrum in Christo Jesu: & Stachyn dilectum meum. Salutem Apellen, probum in Christo. Salutem eos qui sunt ex Aristobuli domo. Salutem Herodionem cognatum meum. Salutem eos qui sunt ex Narcisci domo, qui sunt in Domino. Salutem Triphenam, & Tryphosam: quæ laborant in Domino. Salutem Persidam charissimam, quæ multum laboravit in Domino. Salutem Rufum electum in Domino: & matrem ejus & meam. Etate, non partu matrem salutem. Hi ex Judæis erant, & quia simul cum Paulo fuerant tribulati, nec terrii: ideo nobiles hoc merito habebantur: qui ad profectum Romanorum inter cæteros fuerant destinati, quique priores Paulo credidisse, ipsius testimonio referuntur.

Salutate Asyncritum & Phlegontem Hermam, Patroban, Hermem, & qui cum eis sunt fratres. Salutem Philologum & Juliam, Nereum & sororem ejus, & Olympiadem: & omnes qui cum eis sunt sanctos. Suo exemplo nos docet quales amicos debeamus in nostris literis salutem: non divites sæculi, facultatibus vel dignitatibus honoratos: sed gratia ac fide locuples.

Salutate invicem in osculo sancto. Salutem vos omnes Ecclesiæ Christi. Non fidè vel subdole, quale Judas tradidit salvatori. Ideo enim in Ecclesiâ pax primo annunciat: ut ostendat se cum omnibus esse pacificum, qui corpori communicaturus est Christi.

Rogo autem vos fratres, ut observetis eos qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinat ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri. De illis dicit qui ex circumcisione illo tempore venerunt, jejunia & abstinentiam destruentes, neomenias, & sabbata, & cæteras ferias, ventris gratia prædicabant, dissidentes ab apostolica doctrina, & fratribus offendicula preparantes.

Et per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. Per blandimenta, & adulationes, compto sermone compositas.

Vestra enim obedientia in omni loco divulgata est. Si illis obedistis quibus non debuistis: quanto magis vobis obedire debetis? Nam & illi propterea ad vos venerunt, quia sciebant vos per obedientiam simplicem citò posse seduci.

Gaudeo igitur in vobis: sed volo vos sapientes esse in bono: & simplices in malo. Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Salutem vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jason, & Sosipater, cognati mei. Salutem vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam hanc, in Domino. Salutem vos Cajus hospes meus, & universa Ecclesia. Quia bona est obedientia,

sed si rationabilis sit: & ideo volo vos sapientes esse in bono, ut malum nescientes, sub pedibus innocentie deponatis inimicum. Ita enim dedit nobis Dominus potestatem calcandi super scorpiones atque serpentes, & omnem virtutes inimici: id est ne nobis prævaleat: & omnibus super eum membris liberis ac solutis ambulare possimus.

Salutat vos Erastus arcarius civitatis: & Quartus frater. Hic arcarius ex arcario dicit: sicut gentes credentes ex gentibus sæpe vocavit, secundum consuetudinem legis quæ Abigail, uxorem Nabal adhuc appellat, cum jam illo mortuo in David matrimonium transisset.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Hæc est subscriptio manus ejus in omnibus Epistolis, ut in ea etiam commoneat beneficia Christi.

Ei autem qui potens est vos confirmare. Signis atque doctrinis. Item hic Patris personam monstrat. Descendens autem dicit: manifestatum hunc per scripturas propheticas secundum imperium æterni Dei: Spiritum sanctum significat. Item infert: Cognitum est soli sapienti Deo per Christum Jesum: cui gloria in sæcula. Hoc loco Patrem & Filium manifestè loquitur. Quod autem dicit: Cognitum est soli sapienti Deo: in communi munere, mysterii significat trinitatem.

Juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi. Ut sic vivatis, quomodo ego Christi exemplo, & autoritate gentibus prædicavi.

Secundum revelationem mysterii. Mysterium de vocatione universarum gentium in lege diu fuerat occultatum, quod nunc per Paulum evidenter patefactum est Evangelium in Christo per testimonia Prophetarum: quia quamvis de gentibus antè multa dixisset, tamen quomodo & in Christo unum fierent & Judæi, nemo tam apertè cognoverat. Existimare enim poterant quosdam ad fidem quasi profelytos admittebant.

Temporibus æterni taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum. Descendens autem dicit quid est patefactum.

Secundum præceptum æterni Dei. Præcepit Deus ut omnes gentes obediant, & Deum agnoscant, quod futurum quandoque solus antè sciebat, qui solus naturaliter sapiens, sicut naturaliter bonus: cum tamen, & homo dicatur bonus: sed nos institutione boni vel sapientes esse possumus: ille natura. Cui per Jesum Christum gloria & honor in sæcula sæculorum.

Ad obedientiam fidei in cunctis gentibus. Spiritum sanctum significat. Item infert. Cogniti soli sapienti Deo per Jesum Christum: Cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Commentarii in Epistolam ad Romanos finis.

COMMENTARIII IN PRIMAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

Caput I.

PAULUS. Paulus, quod nomen præponit in Epistolis, autoritatis esse noscendum. Item aliter: Paulus Apostolus, connectens in Epistola fratrum nomina: vel humilitatem suam significat: vel cooperatorem esse cum Apostolice prædicationis ostendit.

Vocatus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei. Voluntas Dei vocatur quisque ad fidem: sed sua sponte, & suo arbitrio credit: sicut ait in Actibus: non fui incredulus cælesti visioni.

sed si rationabilis sit: & ideo volo vos sapientes esse in bono, ut malum nescientes, sub pedibus innocentie deponatis inimicum. Ita enim dedit nobis Dominus potestatem calcandi super scorpiones atque serpentes, & omnem virtutes inimici: id est ne nobis prævaleat: & omnibus super eum membris liberis ac solutis ambulare possimus.

Salutat vos Erastus arcarius civitatis: & Quartus frater. Hic arcarius ex arcario dicit: sicut gentes credentes ex gentibus sæpe vocavit, secundum consuetudinem legis quæ Abigail, uxorem Nabal adhuc appellat, cum jam illo mortuo in David matrimonium transisset.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Hæc est subscriptio manus ejus in omnibus Epistolis, ut in ea etiam commoneat beneficia Christi.

Ei autem qui potens est vos confirmare. Signis atque doctrinis. Item hic Patris personam monstrat. Descendens autem dicit: manifestatum hunc per scripturas propheticas secundum imperium æterni Dei: Spiritum sanctum significat. Item infert: Cognitum est soli sapienti Deo per Christum Jesum: cui gloria in sæcula. Hoc loco Patrem & Filium manifestè loquitur. Quod autem dicit: Cognitum est soli sapienti Deo: in communi munere, mysterii significat trinitatem.

Juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi. Ut sic vivatis, quomodo ego Christi exemplo, & autoritate gentibus prædicavi.

Secundum revelationem mysterii. Mysterium de vocatione universarum gentium in lege diu fuerat occultatum, quod nunc per Paulum evidenter patefactum est Evangelium in Christo per testimonia Prophetarum: quia quamvis de gentibus antè multa dixisset, tamen quomodo & in Christo unum fierent & Judæi, nemo tam apertè cognoverat. Existimare enim poterant quosdam ad fidem quasi profelytos admittebant.

Temporibus æterni taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum. Descendens autem dicit quid est patefactum.

Secundum præceptum æterni Dei. Præcepit Deus ut omnes gentes obediant, & Deum agnoscant, quod futurum quandoque solus antè sciebat, qui solus naturaliter sapiens, sicut naturaliter bonus: cum tamen, & homo dicatur bonus: sed nos institutione boni vel sapientes esse possumus: ille natura. Cui per Jesum Christum gloria & honor in sæcula sæculorum.

Ad obedientiam fidei in cunctis gentibus. Spiritum sanctum significat. Item infert. Cogniti soli sapienti Deo per Jesum Christum: Cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

meum super illos. Et Psalmista dicit: Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Quem sacerdotem fuisse illa res probat: quia & sacerdoti successit, & hostias offerebat. De quo etiam secundum historiam dictum est: Sulcabo mihi sacerdotem fidelem. Qui quamvis non sit ex genere Aaron, tamen de tribu Levi esse in Paralipomenon legitur: quia ipse hunc constituit, qui & illum. Ita enim Aaron elegit, ut alios postea eligendi non amiserit potestatem.

In omni loco ipsorum & nostro. Quia sacerdotes & suo, & Apostolorum loco funguntur. Propter quod etiam Ecclesiarum Apostoli nominantur. Item aliter: Univerfis Ecclesis provinciarum Achaiae ostendit se has literas mittere.

Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo. Pax gratiam servat, quam quidam habere volebant.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quae data est vobis in Christo Jesu. Primum solito laudando pro vocat ad profectum, & dicit se quidem gaudere de eorum scientia: sed scire illos debere, quia vera sapientia non inflat, neque dissentiunt.

Quia in omnibus divites facti estis in illo. In omnibus virtutibus, per sapientiam, quae amicos Dei, & Prophetas constituit. Item aliter: Hoc dicendo, Apostolus ostendit eos quando ad fidem Christi accesserunt, omni gratia tunc ditatos: nunc autem non iuxta fidem conversantes, vacuefactam monstrat gratiam quam perceperunt.

In omni verbo & in omni scientia. Id est non tam novi quam veteris testamenti.

Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis. Testimonium quo ait: Omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo nova, & vetera.

Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia. Unde ait Salomon: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa: id est, cum sapientia.

Expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi. Ille verè expectat adventum Christi, qui in omnibus preparatus est. Revelatio autem dicitur Domini adventus: quia modo à nobis abscondita est.

Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi. Per doctrinam, sicut ait David: Confirma me in verbis tuis. Et iterum: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Item aliter: Orat pro ipsis ut usque ad finem vitae suae irreprehensibiles in adventum Domini nostri Jesu Christi permanerent.

Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus, Jesu Christi, Domini nostri. Quam societatem Joannes exponit, dicens: Quoniam Deus lux est, & tenebrae in eo non sunt ullae. Si dixerimus quia societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur. Et Paulus ait: Si commortui sumus, & convivemus: si sustinemus, & contregnamus. Hic locus contra Arianos facit, qui in hoc minorem esse filium volunt, quo per ipsum omnia facta referuntur, cum hoc etiam in Patrem cadat: per quem in societatem filii ejus credentes vocat. Item aliter: Hoc contra Arianos valet, qui ministrum praeceptorum patris filium dicunt: quoniam scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt: hic autem ostenditur quia per Deum Patrem vocati sunt in communionem Jesu Christi Domini nostri. Huc usque cum laude praefatio.

Obsecro autem vos fratres. Ad unam sentiendi concordiam revocat: & ut ipsi omnes idem loquantur hortatur. Item aliter: Hic jam causam contra dissensionem aggreditur.

Per nomen Domini nostri Jesu Christi. In quo nomine salvati estis, & signa fieri conspexistis.

Ut id ipsum dicatis omnes. Ut unum sentiatis atque dicatis.

Et non sint in vobis schismata. Schismata semper ex contentione nascuntur.

Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Si unum sentiatis & proferatis, tunc verè potestis esse perfecti.

Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes: quia contentiones sunt inter vos. Queritur quomodo Apostolus crediderit aliquid de absentibus, cum scriptum sit: Non credes auditui vano. Et iterum: Quae viderint oculi tui, loquere: & cetera. Sed hanc gratiam habebat, ut

nosset absens quid in singulis Ecclesiis ageretur. Sicut dicit ad Colossenses: Et si corpore absens sum, sed spiritu praesens, gaudens, & videns ordinem vestrum &c. Quia ergo sciebat Corinthios ita agere, ut audiebat, non credidit sine causa quasi de absentibus, quorum conversationem in spiritu cognoscebat.

Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollonis, ego vero Cephae, ego autem Christi. Sub nomine Apostolorum, pseudoapostolos tangit, qui eos per sapientiam circumvenerant mundi, ut unusquisque ejus se diceret esse, cujus doctrinam elegerat, qui adversa docebant. Si ergo nec de veris Apostolis hoc dici permittit, quanto magis de falsis non licebit?

Divisus est Christus? Dividitur corpus, cum membra dissentiant.

Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Potest istud dici his qui relicto Christi exemplo, sanctos veteris testamenti in solis divitiis cupiunt imitari: Nunquid Abraham crucifixus est pro vobis, aut in nomine Job baptizati estis? Et illud Domini, ubi docemur non querere quid alii discipulo jubeatur, dicentis Petro: Quid ad te? tu me sequerere.

Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum & Caium: ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati sitis. Baptizavi autem & Stephanae domum: ceterum nescio, si quem alium vestrum baptizaverim. Quod ita contingit: ut illos paucos baptizarem, qui se non dicunt in meo nomine baptizatos. Item aliter: illorum ipsorum neminem, nisi quos numeravi.

Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Non usurpavit minora facere, qui poterat officia implere majora. Sicut hodie & Episcopus vel sacerdos, si voluerit, diaconi poterit implere ministerium.

Non in sapientia verbi. Cum possint Apostoli etiam sermones sapientiae praedicare: simpliciter docent, ne astutiae praedicationis ascribatur prudentia, & evacuatur crux Christi.

Ut non evacuatur crux Christi. Evacuatur enim vim crucis, qui aures declamatione permulcent.

Verbum enim crucis pereunibus quidem stultitia est. Praedicationis crucis non intelligentibus virtutem Dei, stultitia videtur Dei filium dicere crucifixum: fideles autem intelligunt Dei esse virtutem, quae mors vita est, & diabolus superatus est.

His autem qui salvati sunt, id est nobis, Dei virtus est. Fides enim eorum eos salvos facit.

Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium. Hoc in adventu salvatoris asserit adimpletum: id est, ad nihilum redigam.

Et prudentiam prudentium reprobo. Eligendo piscatores, artem rhetoricam, & philosophicam reprobo. Quaritur plane, unde sit haec sapientia, quam reprobat Deus. Scriptum est enim quod omnis sapientia à Domino Deo sit: id est, de bona natura ducit exordium. Hoc enim habet sensus humanus, ut quocumque eum tenederis, consequatur, & paulatim meditando proficiat, inde est quod multi illiterati poemata componunt tam exquisita, quae viri eruditissimi admirantur. Hunc ergo sensum quem Deus se ex creaturis cognoscendum, & suam voluntatem inquirendam dederat: illi ad inquirenda superflua & curiosa vertunt. Similiter & de divitiis ac fortitudine, & de omnibus quibus male utimur, postumus existimare.

Ubi sapiens, ubi scriba. Id est, doctus.

Ubi inquisitor hujus saeculi? Nonne stultitiam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Qui acquirit sapientiam saecularem, vel quicumque aliis de rebus obscuris inquirat.

Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, Factura mundi, Dei sapientia est fabricata: in qua per sapientiam naturalem quae ad hoc data & creata fuerat, debuit cognosci ipse qui fecerat: sed quoniam non agnoverunt homines, alia illis medicina succurritur. Item aliter: Hoc loco sapientiam Dei, ordinatione creaturarum quae videntur, ostendit: ex quibus Deum autorem venerari, & agnosceri debuerunt.

Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Non quod verè stultitia sit praedicationis crucis: sed quia apud illos ita haberetur.

Quoniam & Judaei signa petunt. Judaei ex consuetudine Prophetarum

Prophetarum signa petunt, quae etiam videntes credere noluerunt.

Et Graeci sapientiam querunt. Artis dialecticae, & humanae sapientiae rationem.

Nos autem praedicamus Christum crucifixum. Multum suam doctrinam ab illorum sensu discrepare demonstrat.

Judaeis quidem scandalum. Scandalizantur si audiunt Christum à se crucifixum. Sive scandalum illis est audire Christum mori potuisse, quem illi quasi immortalis expectant. Inde est quod dicebant: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum: non intelligentes, quia primum pati illum oportebat, & sic in gloriam suam introire.

Gentibus autem stultitiam. Secundum mundanum sapientiam, stultitia videtur Deum credere crucifixum.

Ipsis autem vocatis Judaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Hic non divinitatem Christi, dicit Dei virtutem & sapientiam: sed ordinationem crucis. Item aliter: Ipsi Judaei, & gentes cum crederint, intelligunt virtutem Dei esse, quae devicta morte hominem revocavit ad vitam: & sapientiam quae nos à dominatione diaboli liberavit: quod antè per incredulitatem intelligere non valebant.

Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Quod stultum putatur Dei, omnem humanam sapientiam antecedit: quia sapientia sua liberi non poterant, qui per crucis mysterium sunt salvati.

Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Mortem quam nec gigantes evadere poterunt, crucifixi infirmitas superavit.

Uideat enim vocationem vestram fratres. Exemplum accipit ex his qui crederant, ut ostendat quia non prodest gloriatio carnalis ad fidem, sed magis obest, dum superbia sapientiae, & nobilitatis inflati, homines Dei sapientiae subiacere noluerunt.

Quia non multi sapientes secundum carnem: non multi potentes, non multi nobiles. Hic contra illos agit oblique, qui se legis peritos, & fortiores Apostolis, & nobiliores ex sacerdotali stirpe descendere iactabant.

Secundum ista stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus. Quia dum in semetipsis non confidebant, celeris crederunt. Semper enim sapientium, & divitum, & fortium gloria increpatur, sicut ait Propheta: Non gloriatur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua, neque dives in divitiis suis: sed ipse Dominus quod per Prophetam dixerat, ipse ad nostrum complevit exemplum. Nascendo enim de matre paupere, divitias reprobo. Dum autem literas non discit, refutat sapientiam saecularem. Cum vero traditus non resisit, sed patienter sustinet crucem, in humana fortitudine prohibet gloriari. Humiliter ergo se Deo hujusmodi, si volunt & ipsi cum ceteris liberari.

Et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret. Quae non sunt sapientia, fortia, nobilia: ut quae sunt talia dissiparet.

Ubi non gloriatur omnis caro in conspectu ejus. Omnis caro, non spiritus: quia carnalis est ista gloriatio.

Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu. Si ergo ex ipso estis, nolite ea quae ille reprobat admirari.

Qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia. Nobis factus est, sibi semper fuit: ut scilicet nos faceret sapientes, & justos, & sanctos. Item alia expositio: Cum sit Christus Dei Patris sapientia, tunc tamen cum quis in illum crederit, sapientia ei Christus efficitur.

Et sanctificatio, & redemptio. Redemptio nostra salutis.

Ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Non in semetipso aut in superius comprehensibilibus.

Caput I I.

Et ego cum venissem ad vos fratres. Quia ostenderat non illos debere humanam sapientiam admirari, suo quoque hoc exemplo confirmat, eo quod ipse non per humanam sapientiam praedicasset.

Non veni per sublimitatem sermonis, aut sapientiae, annuntians vobis testimonium Christi. Noli pompaticum eloquentiae iactare sermonem in praedicatione divina.

Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum. Id est, non sum gloriosus in aliquo, nisi in Christo.

Et hunc crucifixum. Quod stultum apud homines esse videtur.

Et ego in infirmitate & timore, & tremore multo fui apud vos. Neque enim alio modo Deum convenerat praedicari: non jaectantia, neque gloria carnali.

Et sermo meus, & praedicationis mea. Quia dialectici erant Corinthii, noluit apud illos disputatione uti, ne hoc quoque illis nova aliqua philosophia videretur, sed magis illis virtutes, & miracula demonstravit.

Non in persuasibilibus humane sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis. Quia rhetorica habet colores persuasorios in unaquaque materia.

Ubi fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientia hominis temporalis, ad breve prodest. Virtus autem Dei ut aeterna, dat sine fine profectum.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Ne putetis & nos sapientiam non habere: habemus divinam, sed vos jam tunc capere minimè poteratis: quae jam credentibus aperitur.

Sapientiam verò non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi, qui destruantur. Sive regum, sive philosophorum, qui in hoc saeculo primatum sapientiae tenere videntur. Qui cum sapientia sua per nostrum Evangelium destruantur.

Secundum ista loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est. In Evangelio: quod continet nativitatem Christi, passionem, & cetera.

Quam praedestinavit Deus ante saecula. Sive in praesentia, sive in lege ante tempora. Multi enim Prophetae cupierunt videre, & non viderunt.

In gloriam nostram. Qui credimus Christo.

Quam nemo principum hujus saeculi cognovit. Pilatus, Caiphas, & ceteri, quorum etiam ignorantia damnatur: quia non debuerant ignorare.

Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae majestatis crucifixissent. Hoc loco ad defensionem perverbi dogmatis, duae hereses abutuntur, Apollinarii scilicet & Arii. Una, ut perfectam assumpti hominis naturam destruat. Alia, ut Dei verbum asserat esse passibile: neque erat intelligens, majestatis Dominum etiam assumptum hominem dictum: neque ista sciens, non divinitatis sed humanitatis passibilem esse naturam. Item alia expositio: Dominus majestatis carne patitur, carne crucifigitur, carne moritur, substantia autem deitatis impassibilis est. Et simili modo etiam Apostolus Petrus testatur in Epistola sua Christum pro nobis in carne passum, dicens: qui peccata nostra ipse portavit in corpore suo super lignum. Item alio loco: Christo igitur passo in carne.

Sicut scriptum est: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae preparavit Deus his qui diligunt illum. Memoratorum scilicet principum mens haec videre non potuit: quia credere noluerunt. Quidam sane dicunt, oculus non vidit virginem peperisse, nec auris audivit: Tunc jussi sicut sol fulgebunt. Qui habet aures, inquit, audiendi, audiat: & in cor hominis non ascendit, homines coheredes Christo futuros.

Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum. Nobis, qui fide meruimus spiritum Dei accipere, qui nobis voluntatem ejus ostendit.

Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Etiam quae in secreto Dei consilio conquiescunt.

Quis enim scit hominum quae sunt hominis: nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quae Dei sunt, nemo cognovit nisi spiritus Dei. Quae cogitationes veniunt in homine, Item alia expositio: Praclarum hoc adversus hereticos qui creaturam Spiritum sanctum dicunt. Unde hic ostenditur non solum creaturam non esse, verum etiam quod ipse solus interiora Dei, & profunda rimetur: quippe ut ejusdem naturae atque substantiae sit cum Christo.

Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. Quicumque mundana sapit, non spiritum Dei videtur habere, sed mundi.

Ut sciamus quae à Deo donata sunt nobis. Ut sciamus